F: Quaestio metaphysica de animae humanae, in statu separationis, operationibus.

QVÆSTIO METAPHYSICA.

DE

Animæ humanæ, in ſtatu ſeparationis, operationibus.

PVBLICÆ VELITATIONI.

IN

Inclyta Academia Cracouienſi.

A

M. ALBERTO ŁANCVCKI, in eadem Academia Profeſſore.

Permiſſu ſuperiorum EXPOSITA.

Menſe Nouembris Die 24

CRACOVIÆ,

Apud LVCAM KVPISZ, Anno D. 1646.



Lilia Pæstanis, decerpta videntur in hortis,
Hinc tria GNESNENSI, subuiruêre iugo.
Autumnus, recreat Prælatos floris honore,
Liliger, vt nimium fundit odoris ager.
Hinc virtus, pietas, candor, gratantur odorem
Metropoli; vernat, quæ sine nube recens.
Vt vireat, plaudente diu Ioue, sæcula centum,
Lilia splendescant, messibus alba; precor.

Perillustribus & Reuerendissimis Dominis,

AVGVSTISSIMI CAPITVLI, INCLYTÆ ECCLES: METROPOLITANÆ, GNESNENSIS,

PRÆLATIS & CANONICIS, DD. & Mæcenatibus Clementissimis.

Salutem ac perennem felicitatem.

PAtiamini obsecro, ô amplissimi sacræ Basilicæ Gnesnensis Proceres, Vestris sub auspicijs, disceptatiuncula præsens, publicam lucem, vt aspiciat. De gremio honorificentissimarum disciplinarum est excerpta; Vos totam per Sarmatiam, cultu honorificentissimo dignissimi. Animæ rationalis operationes non ignobiles euoluit atq; rimatur; Vester Senatus, magnarũ rerum gloriosissimè gerendarum, est in Orbe Polono norma, lux, anima. Res perexilis est & indigna, quæ ambiat, splendore dignitatis Vestræ collustrari? non diffiteor. Nil ab omnibus Regni Ordinibus, conspectui Vestro, nisi quod est illustre, excelsum, magnificum, exhiberi debet. Vtinam verò & mihi longè amplior suppeteret facultas, quàm desiderium ardens & officiosa interea voluntas. At (pro incredibili in literas & me affectu) ignoscite obtestor, dum ita tenui opellæ augustissima præfigo nomina atq; numina Vestra. Non temerarius est aliquis iste aut ridiculus ausus; sed magnæ in Vos obseruantiæ symbolum atq; parergon. Impius ego, ne dum impudens, si nouellas istas alibi: non in Vestro gremio sacro fouendas reponerem. Dulcis est mihi recordatio, Vestræ singularis beneficentiæ, quâ (dum excubias agerem, in Seminario Archidiœcesano, & Vestro; circa nouellos Sacerdotes forman-

formandos) cumulatissimè sum toties amplificatus & collustratus. Absit, vt lateat quenquam in Inclyta (carissima Matre mea) Academia, quàm gratus sim Vestræ in me incredibilis animorum propensionis. Dum prodeo in arenam publicã, de operationibus animæ disputaturus, nolo, alio præsidio, præterquam Vestro, gloriari. Vos Diuos Tutelares meos, & Numina literarũ & literatorum amplissima, palàm recognosco & deprædico. Non alius meo in pectore terminus, obseruãtiæ in Vos maximæ, cultusq; deuotissimi; nisi hic, qui ipsius vitæ. Sed & ô beatas istas paucculas theses, si eminùs saltim mereãtur à Vobis aspici. Vbicunq; Phœbus nominis Vestri affulgere incipit; illicò quidquid est horridum aut incultum, splendescit. Quisquis amplitudinem Maiestatis Vestræ suspicit, fieri non potest, quin Vos Heroas & Mystas in Repub: Polona Inclytos, Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ lumina fulgentissima: Viros tota ex Sarmatia lectissimos, quasi gemmas pretiosissimas annulo insertas: profiteatur. Dignitas Vestra, Diuinitas quædam est. Quidquid agitis, ex virtute religione, iustitiâ; ex Deo, agitis. Alibi authoritatis & dignitatis celsissimæ fortassis riuuli: Vestro in Archicapitulo, limpidissimi, vberrimiq; fontes. imò verò vastum pelagus. Capitulum Vestrum inclytum (orbis Poloniarum iudicio) est Capitolium syncerae religionis, Areopagus iustitiæ. Oraculũ prudentiæ, Orchestra Antistitum, thronus magnæ dignitatis; sanctitatis, atque virtutum Zodiacus. At quid ego infans in dicendo, laudes Vestras hîc accumulo? numerari non possunt, ne dum enarrari. Quisquis merita Senatus Vestri celeberrimi, in Ecclesiam, Rempublicam, Patriam, omnes in Regno Ordines, calamo consignat; fluuium exundantem angustâ concludit fossâ. Ego profectò malo virtutes Vestras illustres silentio submissè venerari; quàm de illis ieiunè dicere. Tantis cumulati diuinitùs bonis & donis, viuite Ecclesiæ, Reipublicæ Legum atque libertatum præsidio, Academiæ & mihi patrocinio, quàm felicissimè, quàmq; diutissimè. Hoc Vobis (ad pedes magnæ dignitatis Vestræ, meipsum, & velitatiunculam præsentem demittens) voueo & cupio.

Cultui Vestro deditissimus

M. ALBERTVS ŁANCVCKI.

Collega Minor.

QVÆSTIO
METAPHYSICA.

VAnima humana, ab Intelligentia specie differens; dum est in statu separationis, sibi præter naturam cōpetenti; actum cognoscendi naturalitèr exercēdo; omnia, quæ ordinem naturalis suæ cognitionis, minimè excedunt, distinctè intelligere; & non tātum seipsam, verùm & alia à se, mouere posſit, nec ne?

Conclvsio I.

Anima humana ab intelligentia speciè differt.

Corollaria.

1. *Anima humana, neq; naturæ specificæ perfectione, æqualis est Intelligentijs; nec ijsdem essentiali dignitate antecellit: sed est infra illarum nobilitatem.*
2. *Intelligentia, est substantia completa & perfecta; anima rationalis, vt potè materiæ vnibilis & pars compositi existens, est ens incompletum.*
3. *Intellectus humanus, non est eiusdem speciei, cum intellectu intelligentiæ.*
4. *Magna est imperfectio, humani intellectus, in rebus intelligendis, in hoc statu.*
5. *Si quando anima humana cognoscit rem aliquam more intelligentiæ, videlicèt non discurrendo, hoc consequitur, aut præter naturã, quatenus quippe est separata, aut*

supra

ſupra naturam, rationè ſcilicet ſuperni luminis.

CONCLVSIO II.

Separatio animæ humanæ, à corpore, cùm in fieri, tùm in facto eſſe, animæ, præter naturam competit.

COROLLARIA.

1. *Animæ rationali, non eſt violenta, nec naturalis, à corpore ſeparatio.*
2. *Status Phyſicæ ſeparationis, ſoli animæ humanæ competit; non autem ſentienti, aut vegetanti.*
3. *Soli animæ ſeparatæ, eſt naturale ſinè corpore operari: operatio tamèn illius extra corpus, ſit licet illuſtrior, non eſt tamèn eidem connaturalior.*
4. *Status animæ ſeparatæ formàliter ſpectatus, eſt nihil aliud, præterquam priuatio actus ſecundi, eiuſdem animæ, nimirum in-*

 forma-

formationis, seu vnionis cum corpore, atq; adeò omnium, quæ vnionem talem consequuntur.

5. *Anima naturalitèr propendet in corpus; nec reunio eius, cum corpore, est præter naturam, in ordine ad entitatem: quamuis quoad modum sit supernaturalis, & miraculosa.*

CONCLVSIO III.

Anima humana, dum est in statu separationis, actum cognoscendi naturalitèr exercet.

COROLLARIA.

1. *In anima separata, resident omnes facultates, quæ non dependent à corpore; vt sunt intellectus, voluntas, memoria, motiua vis animæ. Reliquæ verò potentiæ sensitiuæ, non solùm quoad actum, ast etiam quoad entitatem, intereunt.*

2. *Anima humana, in statu separationis, non est de-*

est destituta ijs habitibus scientiarum, nec speciebus intelligibilibus, quas sibi immersa corpori comparauit. Cæterum seiuncta sic à corpore, acquiratné ampliùs imagines rerum, an non? sub iudice lis est, ac ideo problema.

3. *Anima separata, tam per eas species, quas secum defert, quam per eas, quas ex lumine superno accipit, naturaliter quidem intelligit, seu citra miraculum, sed tamen præter naturam.*

4. *Anima in statu separationis, in cognitionem rerum naturalium, tam sine discursu, quàm cum discursu fertur. Discursus tamen eius in tali statu, longè magis est expeditior, quam dum vnita corpori, vnum ex altero inuestigaret.*

5. *Modus cognoscendi animæ separatæ, est infra modum cognoscendi Intelligentiæ.*

CONCLVSIO IV.

Anima separata, omnia, quæ ordinem

 Natu-

naturalis suæ cognitionis, minimè excedunt, naturalitèr & distinctè intelligere potest.

COROLLARIA.

1. *Anima, vbi migrauit è corpore, non indiget ad intellectionem, corporum concursu; prout, dum esset vnita corpori, indigebat.*

2. *Anima extra corpus, omnia sensilia perspicatius distinctiusq́; quam cum informauisset corpus, intelligit, nec impedit localis distātia, quominus sic cognoscat.*

3. *Anima separata, tùm se ipsam, suosq́; actus internos ac potentias; tum quoq́; alias animas separatas, potest naturàliter distinctè cognoscere. Ea tamen quæ apud nos aguntur lumine naturali cognoscere nequit.*

4. *Substantia; animæ separatæ, est ratio ac principium cognitionis sui, suarūq́; potentiarum; in alijs naturis tàm communibus quam singularibus: tā materialibus quàm immaterialibus, cognoscendis speciebus acquisi-*

quisitis, vel infusis, vtitur.

5 *Verisimile est, animam separatam, naturali eademq́ distinctâ cognitione Intelligentias nosse, illarumq́ naturales proprietates & operationes; exceptis tamē cordium (vt Theologi vocant) cogitationibus.*

CONCLVSIO V.

Anima, in statu separationis non seipsam tātùm; sed alias quoq́; res sibi externas, minimeq́; substātialitèr iunctas, pro viribus suis, mouere potest.

COROLLARIA.

1. *Quælibet res creata, seiunctim ab alia existens, est mobilis loco, vel à se, vel ab extrinseca virtute.*
2. *Nulla animæ inest potentia, mouendi se, si vim, mouendi alia, nullam habet.*
3. *Sit licet facultas motrix spiritualis, animæ, statim à primo sui ortu congenita; illius tamen vsum non habet, nisi postquam est à corpore separata.*

4. Pro-

4. *Probabile est, quod animæ separatæ, possint assumere, sicut Intelligentiæ, corpora, eaq́; ad libitum, citra miraculum, mouere.*

5. *Animæ separatæ vis motrix est definita, quoad efficaciam & celeritatem agendi; nec quantamlibet molem mouere potest.*

Sub felicibus auspicijs.

Magnifici & Adm. Rdi. Domini.

D. IACOBI VITELLII, S. Th. Doct. & Prof: Canonici S. Floriani. In alma Acad: Crac: studij Gener: vigilantissimi.

RECTORIS.